Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26268
Copyright: Admont, Benediktinerstift

introducunt. sunt doctores qui turbini heresum obsistunt et lucem doctrine
ecclesie infundunt. Vitrum in fenestris per quod radius lucis iaculatur est mens doctorum
que celestia quasi per speculum in enigmate contemplatur. Columpne que domum ful-
Columpna.
ciunt. sunt episcopi qui machinam ecclesie vite rectitudine in alta suspendunt.
Trabes que domum coniungunt. sunt seculi principes qui ecclesiam continent et muni-
unt. Tegule tecti que imbrem a domo repellunt. sunt milites qui ecclesiam a
paganis et hostibus protegunt. Laquearis picture sunt exempla iustorum que ecclesie
Pictura.
representant ornatum morum. Ob tres autem causas fit pictura. Prima quia
est laicorum litteratura. secundo ut domus tali decore ornetur. tertio ut priorum vi-
ta in memoriam revocetur. Lumina que circa capita sanctorum in ecclesia in modum
circuli depinguntur. designant quod lumine eterni splendoris coronati
fruuntur. Usus autem formas sculpendi a lege cepit. ubi moyses domini
iussu duos cherubin ex auro fecit. Usus vero ecclesias pingendi a
salomone exordium sumpsit. qui varias celaturas in templo domini fieri insti-
tuit. Usus et candelabri et thuribuli a lege cepit. Ideo autem secundum for-
mam rotundi scuti pinguntur. quia divina protectione ut scuto nos
muniuntur. Unde ipsi cantant gratulabundi. Domine ut scuto b. u. t. c. n.
Pavimentum quod pedibus calcatur. est vulgus cuius labore ecclesia sustentatur. Cripte
de altari.
subterranee constructe. sunt cultores secretioris vite. Altare super quod sacri-
ficatur. est christus super quem sacrificium ecclesie acceptatur. Ideo autem corpus christi super al-
tare conficitur. quia populus in eo credens quasi ex eo reficitur. unum cum christo quasi mul-
ti lapides unum altare efficiuntur. In altari reliquie reconduntur. quia in
christo omnes thesauri sapientie et scientie reconduntur. Super altare capse po-
nuntur. sunt apostoli martyres. qui pro christo passi leguntur. Palle et vestes quibus altare or-
natur. sunt confessores et virgines. quorum operibus christus decoratur. Crux ob tres causas
super altare erigitur. primo quod signum regis nostri in domo dei. quasi in regia
urbe figitur. ubi a militibus adoretur. Secundo. ubi passio christi semper ecclesie represen-
tetur. tertio ut populus christianus carnem suam crucifigendo vitiis et concupiscentiis
imitetur christum. Vexilla ideo eriguntur. ut tropheum christi ecclesia iugiter memo-
retur. Propiciatorium quod super altare locatur est christi divinitas que humano
generi propiciatur. Gradus per quos ad altare ascenditur. sunt virtutes per quas ad christum per-
tingitur. Lavacrum quo iuxta altare manus abluuntur. est misericordia fluens
de christo. qua homines in baptismo vel in penitentia a sordibus diluuntur. Pallia
que in ecclesia suspenduntur. sunt miracula christi que in ecclesia leguntur. Pulpitum